

Monſieur *Hevelius's* Letter written to the Publiſher, containing his Obſervations of the late Comet, ſeen by him the 27, 29, and 30 *April*, and the firſt of *May*, 1677. (ſt. nov.) in *Dantzick*.

Nuper reditum illius miræ Stellæ in collo Ceti vobis, Amice honorande, ſignificabam: Nunc verò de apparitione novi cujuſdam Cometæ vos certiores faciam. Prodiit namque hiſce diebus Sidus Crinitum, quod primâ vice hic Gedani die 27 April. manè ab horâ 2 matutinâ ad 3. 30'. uſque animadverſum fuit. Die ſubſequentè 28 April., nulla ratione, ob cælum omnino nubilum, phænomenum iſtud obſervari potuit; at verò die 29 April. manè, exiſtente cælo aliquanto benigniori, licet non omnimodò defacato, pro viribus illum dimenſus ſum. Oriebatur, vel potius in oculos incurrebat, horâ 1. 52', Meſaquilonem verſus (h. e. Nord oſten tot norden) capite quidem haud adèd amplo, ſed tamen ſatis ſplendido, ex unico nucleo clariffimo compoſito, ad inſtar illius, Anno 1665. conſpecti. Caudam lumine notabilem radiis divaricatis ſurſum verſus, duorum ſerè graduum, exponebat. Linea directionis continuata caudæ inter Alamac, lucidum ſc. pedem Andromedæ, ejuſque cingulum incedebat, & quaſi diſtantiâ harum Stellarum in duas æquales partes ſecabat. Verſabatur eo tempore ſupra caput Arietis in Triangulo, inter apicem & borealiorem in ejus baſi, nempe in 5 gradu Tauri, & in latitud. 19 grad. Eor. Diſtabat hoc tempore à Sole ſecundum longitudinem tantummodò 5 grad., ſuo circulo verò maximo 20. Hincque cùm adèd vicinus hic Cometa extiterit ſoli, haud potuit longiorem caudam, ut ut meâ opinione reverà longè prolixiorem habuerit, oſtendere, imò ut puto proximis diebus aliquandò adhuc breviorẽ oſtendet.* Die 30 April. etiamſi cælum non omnino ſerenum extiterit, obſervatus eſt, eâ diligentia quâ tum fieri potuit, tam majoribus Organis Aſtronomiſcis quàm Tubis 12 atque 20 pedum: Deprehenſus itaque in 9 grad. 8, & latitud. 18 bor. ſerè; à Sole exiſtente in 12 8; caudam rurfus duorum grad. & aliquanto longiorem, ad borealiorem in baſi Trianguli extenſam (quæ Stella planè in cuspide caudæ per Tubos optime conſpecta) exhibebat. Die 1 Maii hac ipſâ die ab horâ 2. 32'. matut. denuò diligenter obſervatus à me eſt, à lucido latere Perſei, Capellæ, Scheat Pegafi, & capite Andromedæ; hincque in 11 8 repertus, ſub latitudine boreali 18, in ipſâ præpmodum conjunctione Solis, totidem quæque gradibus à Sole diſtans. Caudam
adhuc

adhuc satis lucidam referebat, sed paulò breviorē, ut ut latiorē, quam ad lucidum pedem *Andromedæ* exsporrigebat.

Adiē 29 April., quā primum à me observatus, ad hunc usque diē 1 Maii, motu proprio propemodum $5^{\circ} 30'$ absolvit; num autem successu temporis motum velociorem an tardiorē inierit, haud ità accurate affirmare nunc queo: cū intermedia observatio, ob cælum tum nubilum, non adēd certa mihi videatur. Subsequentēs igitur observationes id brevi ostendent exquisitiūs.

Quantum ex duabus observationibus conicere pīssum, vel potius mihi divinari datur, fertur motu directo ad sinistrum pedem *Persei*, supra *Taurum*, ad pedes *Geminorum*, si eo usque perdurabit. Nodus descendens versatur circa 20 grad. *Geminorum* (sed ruditer id tantummodò refero) atque sic ibidem *Eclipticam* pertransibit, fietque tum *Meridionalis*, sub inclinatione orbitæ 27 ferè grad. Hoc ipso vespere, dabo operam, ut eū etiam in Occidentali plagâ, ut ut à nemine adhuc visus fuerit, deprehendere possim: Fortassis successu temporis aliquanto melius ibidem in conspectum veniet; sed in situ decliviori & crepusculo vespertino, *Hypocircium* videlicet versūs, (h. e. Nordwesten to Norden) hæc tamen conditione, si nimirum in eo motu, velocitate, nec non tramite persistat; atque sic simul matutino simul vespertino tempore nos illum conspēcturos confido. De quibus tamen omnibus longè certiora, quando plures *Observationes*, Deo favente, impetravero, significare vobis potero: Hæc quæ dicta fuere, tantummodò divinare valui; num verò benè, an malè auguratus fuerim, tempus docebit. Quid vestrates *Astronomi* de hoc cometâ, & an illum citiūs, an tardiūs deprehenderint, avidissimè à vobis pariter expecto. Illustrissimam Regiam Societatem, Patronos, Fautores Amicosque omnes saluta quàm officiocissimè ab ejus devinctissimo & ad quævis studia atque Officia paratissimo Socio, Joh. Hevelio.

Dabam raptim, ut vides, horâ 6 matutinâ diē 1 Maii; statim post *Observationes* habitas, propter Tabellarium stantem in procinctu, Anno 1677. *Gedani*.